

Circa variam hanc opinionem notari potest : 1º Gregorium XVI, licet theologiam scholasticam tradere non prohibeat, totum tamen in eo esse, ut notam faciat necessitatem explanandi S. Scripturam, adeoque lectionem S. Scripturæ ejus litteris saltem conformiorem esse; 2º decreta contraria, quæ Pallottini loco citato affert, ad suam probandam opinionem, antiora esse, et posteriora id non probare; 3º diversam hanc opinionem conciliari posse dicendo non requiri, ut S. Scripturæ lectio fiat ad modum interpretum, qui illam de verbo ad verbum explanant, sed sufficere, si fiat modo scholastico, v. g. si necessitas baptismi, realis præsentia in SS. Eucharistia aliave veritas proponatur, explicetur, et ex Scriptura sacra probetur, prout in theologia scholastica fieri solet (1).

X. Lectio theologalis habenda est publice in ecclesia, sicut præscribit Concilium Romanum tit. I, cap. VII, ut non tantum ecclesiastici, sed omnes fideles eam audire, et in lege divina instrui valeant. Adeoque fieri nequit in sacrario aliisque secretis ecclesiæ locis (2). Fieri tamen non potest inter missarum solemnia (3). Justis equidem de causis Episcopus disponere potest, ut fiat alibi, modo sit in loco publico, v. g. in palatio Episcopali. maxime si in cathedrali sit infrequens canonici theologi ibi legentis auditorium, ut in simili casu censuit S. C. Congregatio (4).

XI. Super numero lectionum nihil definivit Concilium Lateranense neque Tridentinum. In particularibus ecclesiis olim statutum fuit, ut lectio theologalis haberetur omni die festo, et in feriis bis aut ter in hebdomada. Concilium Romanum 1725, tit. I, cap. VII præcipit, ut provisi de præbenda theologali, quadraginta saltem quotannis lectiones publice in ecclesia habere teneantur. In ecclesiis autem, ad quas Concilium Romanum non spectat, si in fundatione lectionum numerus designatus fuerit, illius dispositioni standum esse declaravit S. C. Congregatio 12 Jan. 1692 *Ripana*, et alias, ut eadem sacra Congregatio decrevit 10 junii 1876 « standum legitimæ consuetudini et arbitrio Episcopi, dummodo lectiones non sint infra numerum quadragenarium in singulis annis » (5).

(1) Vid. Acta S. Sedis, vol. XIII, 1880, fol. 88-90.

(2) S. C. C. 15 Mart. 1710 dub. 3 *Amerina* apud Zamboni tom. 1. *Canonicus* § IX, n. 28.

(3) S. R. C. 30 Ap. 1796, *Ripana*.

(4) 15 Mart. 1662 in *Fossanen*. apud Luc. Ferr. *Canonicus* § IX, n. 28.

(5) Apud Acta S. Sedis vol. 10, fol. 230.

Hujusmodi responsum pro generali lege haberi potest, ut in Actis S. Sedis notatur (1).

Canonicus theologus tamen communiter gaudet vacatione a lectione Sacræ Scripturæ in diebus et temporibus, quibus gaudent doctores universitatum, scilicet a festo S. Thomæ Apostoli usque ad diem post Epiphaniam, a dominica septuagesimæ ad primam dominicam quadragesimæ, a dominica palmarum ad totam octavam paschatis, a festo S. Joannis Baptistæ ad diem quintam novembris, prout respondit S. C. Congregatio (2). Si tamen alia sit ecclesiæ consuetudo, hæc utpote laudabilis et ad spirituale fidelium bonum ordinata, servanda est. Quapropter S. C. Congregatio 10 junii 1876 respondit quoad causas vacationis a legendō, standum legitimæ consuetudini et arbitrio Episcopi, dummodo lectiones non sint infra numerum quadragenarium in singulis annis (3). Ceterum notandum est, non propterea ipsi licere eodem tempore abesse a servitio chori et ecclesiæ, quinimo hac in parte lectorem censeri eodem jure cum aliis ejusdem ecclesiæ canonicis (4).

XII. Quomodo legere debet canonicus theologus? More doctorum docere debet, non autem concionari. Ideoque improbandum non est, quod cartula utatur, ad juvandam memoriam (5).

Juxta Scarfantonum (6), maxime convenit, quod lectio Sacræ Scripturæ non fiat vulgari ideomate sed latino. Hoc autem si anteriori tempore, non tamen hodierno fieri poterit, cum nunc intersæculares vix reperiantur, qui linguam latinam intelligunt, ita ut, si lectio latine daretur, idem foret, ac omnes sæculares excludere.

Methodus sequens observanda proponitur in Concilio Romano 1725, tit. 1, cap. VIII: « Lectores, quicumque sint, divinas in ecclesia » Scripturas interpretantes, hortatos volumus, ut cum non omnes » auditores sint eodem ingenio prædicti, clara, et pro singulorum

(1) Vol. 10, fol. 231, ad VII; Vid. Lucidi de Visitat. SS. Lim. vol. 3, fol. 229; Zamboni *Canonicus* § IX, n. 13 et 16; Acta S. Sedis vol. 9, fol. 518, et vol. 20, fol. 468 sq.

(2) 24 Januarii 1629 in *Assisten* apud Luc. Ferr. *Canonicus* art. IX, n. 26, et 2 Junii 1860 in *Barchinonen* apud Analecta jur. Pont. 1861, ser. 5, fol. 486.

(3) Acta S. Sedis vol. 10, fol. 230.

(4) S. C. C. 24 Jun. 1629; Lucidi de Visitat. SS. Lim. tom. 3, fol. 229, n. 14.

(5) S. C. C. 15 Mart. 1710 *Amerina* dub. 6 apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § IX, n. 31; et 26 Junii 1847 *Casaten*. 1 et 2, apud Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 3, fol. 231.

(6) Lucub. canonic. lib. 4, tit. IX animadv. 14.

» captu dicendi ratione utantur : potissimumque monemus, ut,  
 » maximum circa hoc ministerium, ea ipsis præcipua sit methodus,  
 » quatenus, literali in unaquaque lectione textus enarratione præ-  
 » missa, duas minimum ex eisdem sacræ Scripturæ locis proponant  
 » semper, solvantque quæstiones; historiam unam, moralem  
 » alteram, vel de nostræ fidei articulis, et sacramentis, vel de  
 » catholicæ Ecclesiæ ritibus, eorumque mysteriis, vel aliis, ad  
 » sanam doctrinam et Christianam institutionem spectantibus, quæ  
 » humanæ nedum eruditioni, sed spirituali etiam valeant prodesse  
 » interessentium saluti. "

Si in lectione quæstiones aut difficultates proponantur, non tene-  
 tur neque quæstionibus respondere, neque difficultates solvere (1).

XIII. Nullum particulare stipendium assignandum est theologo  
 pro onere lecturæ, etiamsi redditus in solis distributionibus consistat (2).

Theologus autem semper dispensatus est a servitio chori, non  
 tantum tempore lectionis (3), sed ea etiam die, qua lectionem habet;  
 et lucratur integras distributiones quotidianas omnium horarum,  
 licet iisdem non interfuerit (4). Etsi mane tantum vel vesperi legat,  
 iisdem equidem gaudet pro integra die, qua lectionem habet (5);  
 etiamsi adisset statutum aut consuetudo contraria, vel parvus foret  
 canonicorum numerus (6). Quinimo eadem die ei debentur emolu-  
 menta incerta et distributiones, quæ dantur pro anniversariis,  
 exceptis illis, quæ ex voluntate testatorum aut dantium debentur  
 tantum actu præsentibus (7).

Si matutinum anticipetur post vesperas in die, qua legit, non est  
 censendum præsens matutino, quod dicitur vesperi præcedente pro  
 die sequente (8).

(1) S. C. C. 13 Mart. 1677, Bouix de capitulis, p. I, sect. 2, cap. IX, § VII, n. IV.

(2) Pallottini, *Canonicatus*, § VIII, n. 116; Acta S. Sedis vol. 15, fol. 208-214.

(3) S. R. C. 10 Sept. 1701 *Cortonen.* ad 11.

(4) S. C. C. 29 Ap. 1597, *Mediolanen.*; 26 Sept. 1857 dub. 3, *Bisarchien*; Lu-  
 cidi de Visitat. SS. Lim. vol. I, fol. 347, n. 195; Barbosa de Canonicis cap. 27,  
 n. 33; Scarfantonius lib. 2, tit. X, n. 1. Cfr. etiam Acta S. Sedis, v. 15, f. 463-467.

(5) S. C. C. 7 Dec. 1861; Acta S. Sedis, vol. I, fol. 488; Lucidi loco cit. n. 196.

(6) S. C. C. 26 Aug. 1848 in *Hispatensi*; 30 Jul. 1859 *Perustna*, apud Lucidi  
 loco cit. n. 198.

(7) S. C. C. 7 Dec. 1861, in Actis S. Sedis vol. I, fol. 484-488. Vid. etiam ibid.  
 fol. 288-289; apud Lucidi loco cit. n. 199, et Pallottini, *Canonicatus* § VIII,  
 n. 443 et seqq.

(8) Barbosa loco cit. n. 34; Lucius Ferraris *Canonicus*, art. IX, n. 43.

Notandum autem est, canonicum theologum a choro tantum  
 excusari, et distributiones lucrari in die, qua legit, non autem die  
 præcedente neque in aliis diebus, nisi quatenus alii canonici excu-  
 sarentur, et distributiones lucrarentur (1).

Porro hæc omnia intelligentur de lectionibus in ecclesia habitis  
 (supra X) : non vero a punctaturis choralibus eximuntur magistri  
 qui in Seminario docent, accepta ad id mercede, ne pro uno labore  
 duplex percipient stipendium (2).

XIV. Si theologus in habenda lectione deficiat, per subtractio-  
 nem distributionum et fructuum puniri potest ad formam Constitu-  
 tionis Benedicti XIII, *Pastoralis officii* 1725 (3). In hac Constitu-  
 tione hæc ordinantur : " Volumus, statuimus et mandamus tertiam  
 » partem proventuum præbendæ theologalis ab Episcopo distribui,  
 » et proportionaliter applicari singulis lectionibus Sacrae Scrip-  
 » turæ, quæ a præbendato præscriptis diebus, et horis totius anni  
 » habendæ erunt, ita ut si præbendatus universas lectiones habue-  
 » rit, assignatas distributiones integras absque ulla prorsus dimi-  
 » nutione consequatur. Si vero in aliqua, vel pluribus lectionibus  
 » defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentibus amitt-  
 » tat, quæ in sacristiæ ecclesiae beneficium cedant, ac erogentur.  
 » In casu autem gravioris contumaciæ præbendati, liceat Episcopo  
 » deputare alium theologum sacerdotem sacerdotem vel regularem,  
 » qui jugiter supplendo ejusdem præbendati vices, præfatis distri-  
 » butionibus potiatur " (4).

Notandum autem est : 1º hanc Constitutionem Benedicti XIII  
 continere legem penalem, non latam a Pontifice, sed ab Episcopo  
 ordinario ferendam; ita ut, nisi Episcopi decretum præcesserit,  
 mulcta infligi nequeat quoad præteritum (5).

Not. 2º. Licet stricto jure dici possit, theologum unice pendere  
 ab Episcopo quoad ministerium, eum tamen idcirco a capitulo  
 immunem non esse, tum quia est membrum capituli, tum quia ad

(1) S. R. C. 25 Oct. 1586, *Avenionen.* dub. 15 et 16 apud Zamboni tom. I,  
*Canonicus* § IX, n. 3 et 4, et Pallottini, *Canonicatus*, § VIII, n. 445.

(2) S. C. C. 11 Apr. 1891, ap. Acta S. Sedis, vol. 24, fol. 82.

(3) S. C. C. 10 Junii 1876 apud Acta S. Sedis, vol. 10, fol. 227, Item 19 Nov.  
 1740, § 8, *Melph*, 22 Januarii 1774, § 3, *Cajet*; 3 Jul. 1784, § 7, *Fulg.* apud  
 Zamboni tom. 4, *Canonicatus* § VIII, et *Canonicus* § IX.

(4) Vid. Zamboni tom. I, *Canonicus* § IX, n. 8 et 10; Lucius Ferraris *Cano-*  
*nicus* art. IX, n. 20-22; Lucidi de visitat. SS. Lim. vol. III, fol. 231.

(5) Acta S. Sedis vol. X, fol. 226, ad II.

capitulum pertinent ecclesiæ administratio et decus, quæ tueri valet et debet (1).

XV. Tempore concilii Tridentini sess. V. de reform. cap. 1, officium theologi, si ipse idoneus non esset, suppleri poterat per substitutum idoneum, ab ordinario eligendum, ut liquet ex textu ipsius Concilii. Deinde autem non nisi personis idoneis, quæ per se ipsas id munus explere possunt, conferri potest. Quapropter theologus nunc compelli potest, ut per se, et non per substitutum, muneri suo satisfaciat, nisi legitima adsit causa (2).

Si impedimentum sit temporale seu infirmitas sanabilis, theologus compelli nequit ad alium substituendum, quia pars est conditionis ac cæteri canonici, qui ex legitima causa a residentia excusantur. Si autem impedimentum sit perpetuum aut diuturnum, alium substituere tenetur, licet etiam senio sit confectus aut jubilatus, quia ratio publicæ utilitatis id exigit, ne fideles pabulo salutari priventur (3).

Electio substituti pertinet ad Episcopum (4). Si tamen theologus per unam aut alteram vicem alii lectionem committere vellet, sufficit venia petita et obtenta a capitulo, salvo recursu ad Episcopum (5).

Deficiente theologi, non tantum sacerdos sacerdotalis, sed in defectu sacerdotum sacerdotalium, etiam regularis deputari potest (6).

XVI. Theologi lectioni interesse tenentur omnes canonici et presbyteri ecclesiæ cathedralis, ut plures censem (7). Quinimo juxta Concilium Romanum 1725, tit. 1, cap. IX, interesse tenentur ecclesiastarum dignitates et canonici, parochi et confessarii. Sacra autem C. Congregatio censuit intervenire teneri confessarios et curatos, reliquos vero esse hortandos, et non cogendos (8). Notat tamen Bouix, vix ab omni culpa excusari posse canonicos aliasque clericos

(1) Acta ibidem ad 1.

(2) Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 17; Pallottini *Canonicatus* § VIII, n. 382.

(3) Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 18 et 19; Lucidi de Visitat. SS. Lim. tom. 3, fol. 230, n. 17; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. IX, § VII, n. 5; Pallottini *Canonicatus*, § VIII, n. 390 et seqq.

(4) Lucius Ferraris ibidem n. 19.

(5) S. C. C. 28 Sept. 1726 apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § IX, n. 36.

(6) S. R. C. 10 Junii 1876, in Actis S. Sedis vol. X, fol. 227-231.

(7) Scarfanti lib. 2, tit. X, n. 2; Barbosa de canoniceis cap. 27, n. 28; Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 33.

(8) 2 Jul. 1707, *Milevitana*, apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § IX, n. 25.

ecclesiæ cathedralis, si, hortante Episcopo, nihilominus ordinarie absint, quia id absque aliquo populi scandalo non eveniret (1).

Nota ex S. C. C. resp. 17 Dec. 1887, Episcopum posse capitulum et Clerum Cathedralium et Collegiarum cogere ut lectionibus intersint, etiam adjectis multis (2).

XVII. Cum præbenda theologalis vacaverit, officium theologi committendum est canonico idoneo ejusdem capituli, donec titularis provideatur; alias Episcopus fructus applicare potest alii personæ extra capitulum, sive sacerdotali, sive etiam regulari, si sacerdotalis non reperiatur (3).

### § 2. De Canonico Pœnitentiario.

I. « In omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ, proxime vacaturæ, ab episcopo instituatur, qui magister sit, vel doctor aut licentiatus in theologia vel jure canonico, et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur » (4).

Cum Concilium tantum agat de cathedralibus, hinc sequitur pœnitentiarii institutionem vi Concilii Tridentini in solis cathedralibus fieri debere. In ecclesiis tamen collegiatis pœnitentiarius utilis esse, et ex peculiari fundatione institui potest. Cum autem in his præter jus constituatur, tantum jurum et privilegiorum sibi vindicare poterit, quantum demonstrat sibi legitime concessum esse (5).

Præbenda unienda officio pœnitentiarii, debet esse integrâ, atque canonicalis (6).

Verba Concilii Tridentini nullam præ se ferunt exceptionem, quoad qualitatem et naturam præbendarum; ita ut Episcopus illam

(1) De capitulis p. 1, sect. 2, cap. IX, § VIII.

(2) Acta S. Sedis, vol. 20, fol. 469.

(3) Lucius Ferraris, *Canonicus* art. IX, n. 23-25; Barbosa de canoniceis cap. 27, n. 59.

(4) Conc. Trid. sess. 24, cap. VIII de reformat.

(5) Vid. Acta S. Sedis vol. IV, fol. 177-190; Lucidi de Visitat. SS. Lim. vol. 1, fol. 78; Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 52.

(6) S. C. C. 31 Maii 1596, et 31 Mart. 1602, *Colimbriensi*, Barbosa de canoniceis cap. XXVI, n. 2.